



**Quæstionum Canonicarum, In Quinque Libros
Decretalium, Tomus ...**

In Librum I. Decretalium, Per quadraginta, & tres Titulos distributum, in
quo agitur De Constitutionibus, Seu Legibus universim ...

Krimer, Ferdinand

Augustæ Vindelicorum, 1706

§. IV. De clausula: motu proprio.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-73031](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-73031)

sa solum impulsiva, de qua n. 1446. Nam gratia non dicitur inutilis propter omissum id, quod expositum non avertisset mentem rescribentis, c. dudum, vers. considerantes, de prebend. in 6. allegatio autem vel reticentia rei, quæ ommissa esse poterat, & explicare non tenebatur orator, est aliquid tale; ergo. Nam principale utile non vitatur per minus principale inutile, si separari possint. Collig. 2. rescriptum gratiæ vitari non verificatis precibus quoad ea, quæ erant de necessitate exprimenda; nam ab illis pendet voluntas rescribentis, aliàs non concessuri gratiam, ut constat ex n. 1443. 1467. & 1471. Ea porro dicimus de necessitate exprimenda, consequenter substantialia rescripti, ut in illis verificentur, prout oportet, quæ jure, consuetudine, vel stylo Curia sic exigente exprimi debent, ut diximus n. loco cit.

1496. Loquor autem de stylo, exposito n. 1467. Quæres. 2. an huic clausulæ sit locus in rescriptis gratiæ motu proprio? affirmativam sequitur Barbosa cit. clausul. 166. n. 2. quod maximè procedere vult in beneficialibus, ne detur vitiosus ingressus, & quamvis non suspendat jurisdictionem, ut diximus n. 1493. suspendit tamen ejus exercitium, per Martam p. 2. clausul. 71. n. 4. id verò, quod ibid. addit ex Natta consil. 368. n. 4. & Menochio de arbitr. casu 261. nu. 22. quod per hanc clausulam omnis subreptio vitiet gratiam etiam circa falsam causam impulsivam, ex n. 1446. negandum est; item illud, quod omnis subreptio quantumcunque modica, ex n. cit.

§. IV.

De clausula: motu proprio.

1497. **M**otu proprio concessum dicitur, quod Multroncè (nimirum quod ex mera conceditur liberalitate Principis) non ob instantiam, aut preces alterius; hinc non obstat gratiæ motu proprio concessæ, quod obtinens vel ipse, vel alius ejus loco pro dicta gratia supplicaverit, si Pontifex non ex hujus petitione, sed ex sua benignitate motus, eam concessit; id, quod semper intelligendum est, quando Pontifex expressit in literis, se motu proprio concedere; unde probare volens, gratiam motu proprio concessam, esse concessam ob instantiam, non admittitur;

quia esset rescribentem mendacij arguere, ut notat Rebuffus in clausul. mandator. n. 23. Not. autem gratiam, motu proprio concessam, si re adhuc integra moriatur Pontifex, exspirare, teste Seraphino, decis. 731. n. 1. quibus positus:

1498. Quæres, quos in rescriptis effectus habeat clausula motus proprii? plures recenset Barbosa clausul. 79. à n. 13. referendo potiùs aliorum doctrinam, quam probando. Primus est, quod juxta Baldum, L. Non omnes, C. de quadrienn. præscript. & alios: habeat vim clausulæ: non obstantibus, quæ tollit omnia, quæ dispositioni, cui apponitur, obstare possunt, ut notat Barbosa cit. clausul. 82. nu. 4. quod tamen in multis fallit; quia non tollit vitium personale; & plura alia, &c. de quibus ibid. & constabit ex dicendis à n. 1506.

1499. Secundus est, quod habeat vim clausulæ ex certa scientia, juxta Martam p. 1. clausul. 72. aliàs 73. num. 7. & ambæ simul expressæ sint efficaciores. Hæc porro clausula (ex certa scientia) denotat, concessionem gratiæ processisse à concedente habitâ plenâ notitiâ tenoris, & omnium circumstantiarum ejus; consequenter omnium eorum, quæ ad effectum obtinendi necessaria sunt. Unde quando Pontifex in confirmatione privilegij, vel gratiæ concessæ apponit clausulam ex certa scientia, ea clausula habet vim novæ concessionis; adeoque, si contingat gratiam, vel privilegium concessum, esse invalidum, per illam redditur validum, licet concedens, vel confirmans gratiam, vel privilegium, illius defectû, vel nullitatem ignoraverit, dummodo potestatem habeat ad revalidandum, & nihil aliud addat, quod revalidationi repugnet; sic Benedictus Pereyra in Elucidario nu. 235. Suarez l. 8. de Legibus c. 18. Sed hoc accipiendum venit juxta dicenda à n. seq. In multis enim fallit.

1500. Hic effectus nimis indefinitè tribuitur huic clausulæ. Nam licet concedens gratiam, possit eam concedere etiam cum præjudicio tertij, si tamen id non exprimitur, hoc non operatur clausula motus proprii, maximè quando non præcessit causæ cognitio, ut fatetur ipse Barbosa ex Menochio, Aloyf. Riccio, Marta, & aliis. Similiter non tollit statuta civitatum,

tum, quia præsumitur ea ignorare Princeps, ut notat Menochius de Præsumpt. l. 5. præsumpt. 39. à n. 5. ex. cap. 1. de Constit. in 6. Nec tollit vitium personæ, gloss. in cit. c. Si motu proprio, Covarruvias in c. Alma mater p. 1. §. 7. n. 7. adeoque non supplet ejus defectus, v. g. legitimitatis, ætatis, habilitatis, &c. si expressa non sint.

1501. Quia tamen rescriptum motus proprii ex natura sua habet, quod non fiat ex causis per ipsos supplicantes, vel alios propositis, sed ultroneè, & ex mero beneficio Principis, videtur omnino concedendum, non requiri verificationem eorum, quæ narrantur de meritis, ac qualitatibus extrinsecis, ac iis, quæ habent rationem causæ impulsivæ, aut finalis; nam hæc in motu proprio, licet narrentur, non attenduntur. Et quoniam, si simul addatur clausula (ex certa scientia) denotatur, ea, super quibus rescribitur, esse probè nota rescribenti, solum quoad causas expressas operabitur, ut ex verificandæ non sint, ut notat Castropalaus P. 1. Tr. 3. D. 6. p. 13. n. 9. ubi ex Sanchez l. 8. matrim. D. 4. n. 6. & Felino in c. Cum inter, de except. num. 5. ait, dictam clausulam ex certa scientia, non operari effectum gratiæ quoad extrinseca, qua in rescripto expressa non sunt. Ratio eorum est; quia, quæ ibi non exprimentur, non possunt Principi esse cognita. Nam ipse non potest omnia vitia, dispensandi per gratiam, nota habere; quia nec tenetur, nec potest facta subditorum nôsse, quæ possunt obstare subdito, ut gratiam impetret; ita etiam Suarez l. 6. de legibus. c. 13. n. 24. cum Abbate in c. innotuit, de elect. n. 9. ergo, cum dicit, se concedere ex certa scientia, ne falsum dicat, intelligendus est de his, quæ ibi expressa sunt.

1502. Ex hoc infertur. 1. quod Pontifex rescribens cum clausula motus proprii, & ex certa scientia, non intendat tollere impedimenta consequendæ gratiæ obstantia, quorum tollendorum potestatem non habet, ut per se patet, & constat ex n. 1499. Talia sunt impedimenta, quæ recipientem naturaliter inhabilitant. 2. etiam ea, quæ dispositione juris Ecclesiastici, si non sint expressa, extra casus, qui eodem jure disponente dicuntur non

obstare, ut est casus, si non fiat mentio beneficii prius obtenti, de quo n. 1497.

1503. Infertur 2. limitationem, quam assertit Barbosa cit. clausul. 79. num. 54. (quod clausula motus proprii non operetur pluralitatem beneficiorum incompatibilium) non debeat extendi ad pluralitatem compatibilium non admitti. Nam hic effectus illi clausulæ expressè tribuitur in Clem. Si Romanus, de qua n. 1506. ibi: & quotcumque; quod etiam probabiliter dicitur de incompatibilibus, si expressa sint eum clausula ex certa scientia. Nam hæc porrigit se ad omnia expressa.

1504. Infertur 3. limitationem: quam assertit idem n. 44. (quod clausula motus proprii non operetur in iis, quæ non sunt juris, sed facti) debere intelligi 1. de facto non supplebili per potestatem concedentis, ut est consensus personalis in matrimonijs. 2. etiam de facto, quod dispositione juris Ecclesiastici prærequiritur ad receptionem gratiæ, si defectus ejus non est expressus propter dicta n. 1501. 3. denique, ut per sensum contrarium (ergo operatur in his, quæ sunt juris) non accipiat universaliter, sed solum juxta n. 1500. & seqq.

1505. Tertius effectus est, quod clausula motus proprii vim habeat specialis expressionis, hoc est, quod utentem gratiâ liberet ab onere probandi narrata in tali rescripto gratiæ; quia suam intentionem fundat in motu proprio, seu concessione ultronea, & beneficio, seu voluntate, & verbo concedentis; & ideo non indiget aliqua justificatione; ita Seraphinus de c. 1484. n. 10. Per hoc tamen non fit, impediri, quin ex adverso dari possit probatio de defectu intentionis Papæ, quo probato, motus proprius nihil operatur, ut constabit ex seq. Hic tamen effectus subit easdem propè limitationes, quas præcedens.

1506. Quartus effectus est, quod tollat vitium subreptionis; colligitur ex c. Si motu proprio, 23. de præbend. in 6. ibi: Si motu proprio alicui aliquod beneficium obtinenti conferamus aliud, de illo non habita mentione, non ob hoc gratiam hujusmodi, quæ de nostra liberalitate procedit, invalidam volumus reputari; quod etiam expressè habetur in Clement. Si Romanus, eod. ubi dicitur: valere provisionem factam motu proprio Papæ, tacen-

tis beneficia provisi, quacunq; sint, & quotunq;. Sed licet hoc verum sit, quod purget vitium subreptionis, seu faciat, quod non vitietur rescriptum ex taciturnitate veri, aliàs dispositione juris exprimendi, ut constat ex *cit. textibus*; non videtur tamen id verum *indefinitè*, ac *universaliter*. Nam fallit. 1. si taceatur *inhabilitas* personæ non expressa, ut dictum est *n. 1500.* & tenet Sanchez *cit. D. 21. n. 49.* Deinde, si cedat *in præjudicium juris tertij*, nisi exprimatur, ut dixi *n. cit. v. g.* si taceretur, quod beneficium fit de jure patronatus laici, &c. Fallit. 2. quando subreptio, seu taciturnitas veri facit, quod non appareat de concedentis voluntate, ut si fiat in casu, & circumstantijs, in quibus Pontifex talibus *non solet* annuere, aut ejusmodi gratias *motu proprio* concedere; maximè, si contineat obreptionem, seu expressionem falsi circa substantialia, de quibus *n. 1495.* sic Abbas in *c. Quia circa, de Consanguin. n. 7.* & constabit ex *seqq.*

1507. Dices: per *n. priorem, subreptio*, seu taciturnitas veri non vitiat rescriptum cum clausula *motus proprij*; ergo nec obreptio, seu expressio falsi. *re. transf. ant. N. conseq. discrimen est*; quia, quando tacetur verum, ignoratur, an Princeps bene, vel malè informatus gratiam concesserit *motu proprio*; & ideo non potest dici concessa *contra concedentis intentionem*; secus est, quando exprimitur falsum. Nam ubi exprimitur falsum, cognoscitur, quod Princeps malè informatus concesserit gratiam *motu proprio*, consequenter *contra suam intentionem* (non enim fertur in incognitum) *motus autem proprius non firmat gratiam contra concedentis intentionem*, ut tenet Menochius *de arbitrar. casu 201.* Mascard. *de probat. conclus. 887. nu. 93.* Nunquam enim præsumi potest; Principem consentire ex informatione per allegationem falsi circa substantialia gratiæ; foret enim assensus irrationabilis, & in ignoratum.

1508. Dixi *transf. ant.* Nam dictum illud, *indefinitè*, ac *universaliter* acceptum in multis fallit; & jura, quibus nititur, procedunt solùm *in beneficialibus circa peculiarem reticentiam veri de beneficio prius obtento; vel acquisitione novi, retento priori*; quæ, cum alijs juribus con-

traherentur, extendi non debent ultra expressa. Et ideo etiam gratia *motu proprio* concessa non procedit, si dispensatione indiget, de qua nihil expressum est, ut docet Sanchez *l. 8. matr. D. 22. n. 8.* Rebuffus *in forma mandat. Apostol. V. motu proprio, col. 8.*

Dices. 2. qui per rescriptum cum clausula *motus proprij* obtinet *secundum beneficium sine mentione primi*, validè obtinet, licet hæc gratia contineat dispensationem, de necessitate juris, petentis exprimi beneficium prius obtentum; ergo clausula *motus proprij* operatur, & inducit dispensationem etiam in jure communi. *re. 1.* cum dist. consequentis, & transmittit conseq. in casibus jure communi expressis, qualis est præsens, ut diximus *n. 1056.* nego eandem in casibus communi jure non expressis. *re. 2.* N. ant. nam jura, quæ sub invaliditate rescripti exigunt, in supplicatione pro beneficio, fieri mentionem beneficij prius obtenti, procedunt de rescriptis concessis *ad petitionem*; non autem *motu proprio*, ex *n. 1506. & num. hic* immediatè *sequenti.*

Quintus effectus est, quod concessio *motu proprio* facta, intelligenda sit, *pro ut jacet, & sonat*, consequenter restringenda non sit juxta concessam gratiam *ad petitionem partis*; Felinus in *c. causam, de rescript. nu. 14.* & ratio est, quia dispositionem reddit favorabilem per *c. Si pluribus, de præbend. in 6.* ibi: *gratiam hujusmodi* (nempe collationem beneficij), esto aliàs sit stricti juris per *cit. c. Si pluribus, & c. Non potest, eod. in 6.* *si motu proprio eam fecerimus, ut tunc fiat interpretatio plenissima in eadem, referri volumus ad dignitatem, vel præbendam, quæ inter illas esset majoris valoris.* Hinc licet aliàs dispensatio sit stricti juris, *c. 1. de filiis presb. in 6.* si tamè concessa est *motu proprio*, latam habet interpretationem; colligitur ex *cit. c. Si pluribus*, & tenet Sanchez *l. 8. matr. D. 1. n. 5.* id, quod etiam de privilegio tenent Natta *conf. 340. n. 5.* Surdus, & alij, quod intellige de lata interpretatione *in præjudicium concedentis*, non tertij.

Sextus demum effectus est, quod impetranti rescriptum cum *motu proprio* in terminis *Clem. 1. de concess. præbend.* non currat tempus à die notæ vacationis in loco;

co; sed tantum, à die suæ scientiæ; cum alias sufficeret notitia vacationis in loco, ut ibidem dicitur; cui accedit alter effectus, quod si Pontifex *motu proprio* conferat, vel conferri mandet beneficium, *se vacat*, sufficiat; *vacare* tempore collationis, vel receptionis, licet non vacet tempore *data*; sic Barbosa *cit. n. 32.* ex Joanne Andrea, & alijs, sed hic videtur attendendum, quod dictum est *n. 1392.*

§. V.

De clausula: *ex certa scientia.*

1512. **C**omunis tenet, quod, quando Princeps concessionem, vel dispositionem à se factam apponit clausulam (*ex certa scientia*) hoc ipso significet, eam concessionem, vel dispositionem à se factam esse cum perfecta notitia totius negotij, & circumstantiarum ejus, de quo ea concessio, vel dispositio procedit. Varios effectus huic clausulæ tribuunt Authores; sed aliqui aded ambigunt, ut vix aliquid, quod firmitatem habeat, rectè colligatur; imò non raro apparentiam alicujus repugnantia inferre videatur; ut constabit *ex seqq.*

1513. Inter effectus, quos Authores tribuunt huic clausulæ, primus est, quod, ubi apponitur in rescripto confirmante, vel revalidante aliquem actum, vel gratiam (v. g. privilegium, dispensationem, vel alias gratias concessas) *ei valorem tribuat*, si antecedenter sit nullum ex aliquo defectu per Principem supplebili. Circa quem effectum rectè intelligendum

1514. Not. 1. hanc clausulã non habere locum, nisi in privilegij, vel gratia prius concessa confirmatione; hæc autè confirmatio fieri potest vel in forma comuni, nimirum cum Pontifex procedit, nõ habita perfectã notitiã talis negotij; vel in forma speciali, nimirum *ex certa scientia*, & perfecta notitia circumstantiarum, & qualitatum negotij, quod confirmat; sic Castropalaus *P. 1. tr. 3. D. 4. p. 2. §. 10. n. 2.* Not. 2. quando Princeps confirmat gratiam concessam, confirmatione speciali, nimirum *ex certa scientia*, talem confirmationem habere vim, & efficaciam renovandi, seu concedendi de novo tale privilegium, si fortè usu, vel aliã viã amissum esset; aut in priori con-

cessione defectus aliquis (nullitatem inducens) commissus fuisset; quod tamen accipere juxta dicenda à *n. 1516.* sic Cardinalis Tuschus V. *Confirmatio ex certa scientia*; Suarez *l. 8. de legibus c. 18. n. 12.* & plures alij *ibid.* relati.

Ratio est, nam, quando Princeps aliquid disponit, vel confirmat; vel cognoscit, vel non cognoscit defectum, aut nullitatem ejus, quod confirmat? Si cognoscit, & tamen confirmat, satis perspicuum est, quod non velit facere actum inutilem, & frustraneum, & vix decentem, præsertim in materia legum; ergo tunc confirmando intendit auferre defectum, ac nullitatem, eique tribuere vim, & efficaciam, seu valorem, in quantum potest, & à se pendet, ac necessarium est. Si autem non cognoscit nullitatem, & defectum, nulla nimirum informatione super hoc habita, sed solum ambigua (etsi hoc dici vix possit, ne dicamus, *Principem falso rescribere*, se totius negotij certam notitiam habere) adhuc tamen dicendum est, eam confirmationem specialem habere vim, & efficaciam tollendi omnem defectum, & priori concessionem dandi vigorem, seu valorem, quantum opus est, & ipse potest; ne dicamus verba confirmationis *ex certa scientia* in rescripto apposita esse contra mentem rescribentis; & carere omni effectu.

1515. Not. 3. huic ipsi effectui apponi plures limitationes ab Authoribus. Nam Castropalaus *cit. §. 10. n. 4.* dicit, privilegium *subreptione, falsã causã* impetratum non validari, esto confirmetur *ex certa scientia*. 1. quia defectus iste commissus est in ipsa impetratione, qui non præsumitur cognitus à Principe; 2. quia Pontifex non intendit confirmare privilegium, quod non fuit concessum; privilegium autem subreptione impetratum, nunquam fuit concessum. Contrarium tamen videtur deduci ex aliorum doctrina. Nam motus proprius purgat vitium subreptionis, seu suppressæ veritatis *ex n. 1506.* & tenet Barbosa *clausul. 79. §. quartus effectus*; at illi æquivaleret clausula *ex certa scientia*, ut cum pluribus tenet Barbosa in *c. Venerabilis 18. de confirm. n. 8.* licet hic statim infra *n. 20.* doceat, quod clausula *ex certa scientia*, non tollat vitium subreptionis. Deinde, clausula *ex certa scientia*, æquivaleret

1515.

1516.